SVBSECTIO IV.

An Deus potentia sua absoluta aliquam creaturam creare possit, cui sit connaturalis virtus creatiua vt causæ principali.

32 NOn facio hìc quæstionem, an possit creari aliqua creatura a Deo tantæ perfectionis, quæ ab ipso potentia obedientiali eleuari possit, vt eius instrumentum ad creandum aliquam aliam creaturam; quia de hac re est communis sententia affirmatiua; neque quæro an de facto talis creatura habens virtutem creandi naturaliter detur, quia etiam certum est de facto non dari, sed difficultas est de possibili, videlicet an potentia Dei absoluta possit dari aliqua creatura a Deo creata cum tanta facultate, & virtute actiua, vt illi a Deo indita esset virtus creandi, non tamquam instrumentum, sed vt causa principalis.

33 Discordes sunt in hac re Doctores, tam Philosophi, quam Theologi; etenim Thomistæ quamplurimi in primam partem q. 45. & in tertiã partẽ q. 116. cõtra Scotũ, & Ochamum in 4, distinct. 1., Molinã, & Albertinum supra Vasquez tom. 2. in primam partem 176. Benedictum Perrerium lib. 5. cap. 6.

Tenent nihilominus, ac defendunt partem affirmatiuam Magister in 4. sententiarum dist. 5. Durandus in 2. dist. 2. q. 4. sicut etiam Gabriel ibidem: Suarez disp. 20. metaph. sect. 2. & Hurtadus 12. sect. 2. quamquam isti duo vltimi solum talem facultatem concedant vt instrumentali causæ. Antequam tamen meã sententiam proferam, quid veniat nomine creationis videndum est; nam multi diuersimodè illam accipiunt; vtpote aliqui sumunt illam improprie, quatenus ad partem rei terminatur; alij proprijssimè, videlicet quia ad totũ, quod in re creata est, terminatur actio creatiua, prout sumenda verè est creatio.

35 Creatio igitur provt a generatione distinguitur, ita definienda est; est productio secundum omnem positiuam rationem entis inclusa in effectu nulla prorsus præsupposita. ex hac definitione satis constat verum esse id, quod dicebam cum de productione formarum, q. 3. sect. 3. subsect. 1. a n. 10. vsq; ad n. 14 inclusiuè, videlicet quod non proprie generentur, si dantur iuxta aristotelicam doctrinam discurrendo, quia stante eorum doctrina crearentur, vt ibi patet; quia fierent ex nihilo sui, & subiecti; nam de subiecto in se non haberet, quod habere deberet,